

super terram, & cacumen illius tangens caelum, Angelos quoque Dei ascendentes per eam, & Dominum unicum scilicet, Genes. 28. num. 12. Quare Abrahamo sub forma peregrini; Iacobo vero in tanta maiestate se exhibet Deus? Abrahamus erat in tabernaculo suo, in agro suo valde potens cum multa oppulgentia, ac rerum copia, ita ut de domo sua trecentos decem, & octo vernaculos expeditos numeraret. Genes. 14. num. 14. Iacob vero pauper, & humilis, ut ait D. Bruno in allegori. Titelem. In culmine humilitatis. Ut eius habitus indicabat, dormiens super lapidem. Deus autem in habitu peregrini excipitur in domo diuitis, qui in gloriosa maiestate ministrantibus Angelis apparet pauperi recumbenti super lapidem plus humanitatem, quam illius amplitudinem appendens.

QUESTIO X.

Quare serui describuntur non tanquam Dominum comitantes, sed eum expectantes?

RESPONDET primò Philippus Abbas lib. 2. in Cantic. cap. 16. Quia verò, ait, non sufficit magnis operibus quendam fulgere, nisi per hac intendat, non hominibus, sed Deo placere: addit, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum: Intentio, vel expectatio, qua non transitoriam mercedem expectantis, quoddam est reuerentis monumentum, & instar capitelli columnae commendabilis ornamentum. Nuda equidem, & inconueniens est columna si non capitello superposito decoretur, & insufficientis reuerentia, qua expectatione Domini non reueretur. Post exclusa vitia in lumborum præcinctione, post commendatas virtutes in lucernis accensis iubet eis Diuinus Magister, ut toto nixu in omnibus Deum expectent, & attendant; sicut enim columna in templo à capitello habet suum ornamentum, sic & omnis virtus inde habet suum decorem, quod in omnibus super omnia Deum spectet, ipsumque expectet. Vide cap. 13. num. 54. & cap. 16. num. 84. & 85.

Secundo. Assimilat Dominus suos non seruis quærentibus, vel comitantibus Dominum suum, sed expectantibus eum quando reuertatur à nuptiis. Cur serui non requirunt Dominum, cum hoc seruatorum conditioni maximè conueniat, sed tantum Dominum sunt expectantes? Quando reuertatur. Adeo desides sunt homines, ut ad Deum nolint accedere, nisi ipse ad eos descendat; ipsi ob animi remissionem Deum non quærunt; sed Deus ob suam eximiam pietatem eos exquirat. Vide tom. 1. lib. 3. cap. 2. num. 12. & tom. 2. cap. 5. num. 170. & 171. 172.

Tertiò. Deiectis vitiis cum lumbi præcinguntur, virtutibusque micantibus cum lucernæ accenduntur, apponit Diuinus Magister, ut multa bona à Domino reuertente à nuptiis sperent, Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, &c. Solus enim ille, qui debellatis vitiis, multis virtutibus fulget, dignus inuenitur, ut multa bona à Domino speret, qui enim iustitia insignitur, spe repletur, ut radiante corona splendat. D. Laurentius Iustinian. tract. 8. de spe cap. 3. Tunc, ait, veram esse hominis spem potest comprobare,

si meritum adsit. Natus Enos, de quo ait Scriptura. Iste cepit inuocare nomen Domini. Genes. 4. num. 26. Id est ut explicat noster Doctissim. Vualden. & ex eo Bellarmi. lib. 2. de Monich. c. 5. Enos instituit peculiarem, ac sublimiorem aliquem cultum Deum exorandi, venerandi, ac adorandi. Præfata tamen verba Geneleos legunt Septuaginta. Hic sperauit inuocare nomen Domini. Merito sane; ex eo enim quod ipse tantum obsequium Deo præstitit, ut Auctor fuerit alicuius insignis cultus Diuini honoris inde promeruit, ut speraret inuocare nomen Domini, ut sibi propitium, ac beneuolum. D. Augustinus lib. 15. de ciuitat. Dei cap. 18. Hic sperauit, ait, inuocare nomen Domini, ut ostendat, quod non in se ipso spem ponere debeat, sed in illa immortalis ciuitatis beatitudinis sempiternæ. Vide tom. 1. lib. 2. cap. 5. num. 71. & tom. 3. cap. 1. quæst. 4. num. 30. 31. 32.

Quartò. Cum Christus mandat, ut tanquam serui simus prompti, & expediti, ac non imperparati, ut cum Dominus pulsauerit, aperiamus ei: significat Dominus nos non debere differre opera bona ad extremum vitæ, sed continuè rectis actionibus incumbere, ut in hora mortis præparati inueniamur, & sic semper in maiori perfectione ambulemus. Mortua Sara, cumque eam sepelisset Abrahamus, ait Scriptura, cumq; surrexisset ab officio funeris. Genes. 23. num. 3. Cur non scriptum est à Moysè, recessit, exiuit à loco funeris: sed cum surrexisset, ut scriptor canonicus denotaret, quod ex mortua vxore ad multam mortis considerationem se recepit Abrahamus, & inde ad altiorum vitæ perfectionem surrexisset, quæ interpretatio ex ipsa litera colligere licet, nam ante Saræ mortem constitutus est à Deo Dominus, ac possessor terræ, iuxta illud, possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, post verò mortem factus est illius contemptor, statim enim sequitur. n. 4. ut diceret ad Hetthæos. Aduena, & peregrinus sum apud vos, ac si ex mortis consideratione ad vitæ contemptum promoueretur, quod ponderans D. Chrylostom. ait: Monstrat nobis Scriptura virtutem Patriarchæ per omnia, spe futurorum despiciat præsentia, & expectatione maiorum bonorum, minus curabat ea, quæ in præsentibus sunt. In tam alta hac consideratione versabatur Abrahamus, ut diceret Hetthæis. Date mihi ius sepulchri vobiscum. Idem; non ait, date mihi sepulchrum, sed ius sepulchri, cognoscebat enim, quod nihil in hoc sæculo habebat nisi tantum ius, ut sepeliretur. D. Thomas: Nota, ait, quod non petat sepulchrum, sed ius sepulchri, quia volebat ibi Dominum habere, ne à modo de communi iure posset sibi auferri.

Quintò. Cum Christus suis discipulis dicit: Vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, &c. Eos inducit, ut multa cum spe Dominum sint præstolantes, ac etiam ut timore repleantur, formidantes ne quid in eis desit ad Dominum venientem excipiendum; ad quod etiam infra subdit: scisciret Pater familias, qua hora fur veniret, non sciret perfodi domum suam. Ordinatur ergo Christus Dominus ut sui simul cum spe, ac timore degant. Iustus in omni sanctitatis apice habeat timorem, ne cadat; iniquus verò in omni peccatorum foeditate spem se erigendi retineat, totaque nostra vita timore, ac spe componatur, ac regatur.

Post primi Parentis peccatum. Deus collocavit ante paradysum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atq; versatiliem ad custodiendam viam ligni vitæ.

vita. Genes. 3. num. 24. Si homo tam grauius peccauit, cur Paradisi ianuam ferreis vectibus non clauditur? Ad quid aperta relinquatur custodia vno Cherubim flammeo gladio? Ostium apertum relinquatur, ut homo quamuis eiectus adhuc habeat ingrediendi fiduciam; apponitur custos Angelus cum gladio, ut timorem incutiatur; gladius est versatilis, & flâmmeus. Versatilis propterea inclinatur in vnâ partem, per aliam sine offensione patet ingressus, talis est gladius, ut relinquatur homini fiducia ad ingressum. Strab. Gladius versatilis dicitur, quia potest remoueri. Gladius verò flâmmeus est, ut terrorem incutiatur. D. Epiphanius. Ut Adam, ait, filios moueret exemplo sui, auerteret à peccatis, ob id fulminantis gladij aspectus, & Cherubim vtilem terrorem præbuerunt, quo usque vixit Adam.

Primus; in quo poena mortis exequitur, extitit iustus, sanctus, ac innocens Abel, ut notatur D. Basil. Seleuc. orat. 4. Et Theodoret. quæst. 46. in Genes. Primus, qui in regnum cælorum ingreditur, vnus exiit latro, ut tenet D. Cyrillus Hierosol. Carhec. 13. Nondum, ait, fidelis Abrahamus, ingressus est, & latro ingreditur: nondum Moyses, & Propheta, & iam latro iniquus ingreditur. Ad quid tam sublimis rerum dispositio? Ne Abel ut iustus multum confidat, & latro ut peccator ne nimium timeat, sicque vnus confidentia deprimatur, & alterius timor animeretur.

QUESTIO XI.

Quare Dominus dicitur reuerti à nuptiis, cum ad desponsationem cum iusti anima veniat?

IN Christus suis discipulis, & vos similes hominibus exstantibus. Dominus, quando reuertatur à nuptiis. In præsentibus sermo est de tempore horæ mortis, & ideo infra subdit. Vigilate, quia quæ hora non putatis filius hominis veniet. In mortis autem articulo Christus desponsationem inicit cum anima iusti, ut eam ducat in æternam beatitudinem: ut communiter D. Augustin. D. Hieron. Origenes D. Gregorius explicant Virginum parabolam; quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias. Matth. 25. num. 10. Et in Apocal. 19. num. 7. Angeli gaudent, & exultant. Quia venerunt nuptiæ Agni. Si ergo sermo est in præsentibus de mortis articulo, in quo cum anima iusti desponsationes celebrantur. Cur non dicitur Vigilate, & estote similes illis, qui sponsum expectant ad contrahendam sponfaliam, sed ait ut eum præstolentur ut reuertentem à nuptiis? Quomodo reuertatur à nuptiis. Et augetur difficultas, quia cum veniat, ut sponsus sponsi nomen suppressit, & tantum se Dominum publicat; expectantibus Dominum suum.

Respondeo primò. Vult Dominus Magister, ut iustorum animæ sic eum expectent, non tanquam ad nuptias cum eis celebrandas; sed ut alibi habente eas contractas, ut sinceris seruatorum affectus ergo Dominum suum, clarissime manifestetur, qui lumbis præcinctis, lucernis ardentibus, tanta vigilia, ac promptitudine Dominum suum expectant, non nuptiarum lucro, sed amore, ac fidelitate, qua erga Dominum suum afficiuntur; ut solum intendant ei inseruire, sic

omnibusque obsequia præstare. Viginti quatuor seniores. Mittebant coronas ante thronum dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem. Apocalyp. 4. num. 11. Cur ad diuinas laudes decantandas coronas abiiciunt? Ut fiat manifestum, quod vocibus Dei magnalia resonant, non ob præmia, ac coronas acceptas, sed tantum ut inseruiant, ad Deum magno cantu glorificent. Tertullian. lib. de corona militis in fine. Atque exinde nunquam, ait, coronatur: id, quod in signum habet ad probationem sui, sicuti tentatus fuerit de sacramento, statimq; creditur Mibra miles, si deiecerit coronam, si eam in Deo suo esse dixerit. Vide supra in hoc cap. q. 2. per totum.

Secundò. Verum est, quod in articulo mortis Christus Dominus descendit ad desponsationem cum anima iusti celebrandam, & etiam ad eam iudicandam, merito ergo sponsi nomen taceatur, & Domini tantum publicatur. Expectantibus Dominum suum. Ut ex hoc magnum nobis documentum præbeatur, quod iudex cum tribunal ascendit, ac ad iudicium conuenit; solum suæ potestatis iura alta mente retineat, obliuiscens de rebus, ac nominibus, quæ amoris affectum alligere possunt, qualia matrimonia, ac desponsationem denotant.

Christus Dominus in vltima cœna: Discumbebat cum discipulis suis, & dixit eis, vnus vestrum me traditurus est; vna autem homini illi, per quem filius hominis traditur! bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Matth. 26. num. 20. In his verbis Christus Dominus agit de culpa, ac poena Iudæ. Cum de culpa pertractat, eum tanquam vnum ex suis discipulis agnoscit. Discumbebat cum discipulis suis: vnus vestrum me traditurus est. At quando de poena instituit sermonem: eum non tanquam discipulum, sed ut hominem reputat. Vna homini illi, per quem filius hominis traditur? Quorsum cum de culpa est sermo, Iudam vt discipulum respicit, minimè verò cum de poena verba facit? Cum culpa multo grauior poena sit, culpa enim Diuinam læsit maiestatem. Quando Christus Dominus in cœna discumbebat cum discipulis suis, cum eis loquebatur; notat D. Chrylostomus serm. 2. in feria. 5. Passionis. Ascendit, ait, Christus proprie Deitatis tribunal, & illud conuiniuum, velut castatam ante se constituens. Christus Dominus vt Magister differit de Iudæ culpa adhuc eum in discipulorum numero computat, verbis suis intendens eum à tanto crimine auertere; at verò cum ad poenam tanquam iudex deuenit, statim vt rectus Iudex à memoria discipuli nomen deponit, quod ad conciliandum amorem, ac affectum multum inducebat, sed vnum tanquam ex communibus hominibus dicit.

Cum Iesus eiceret demonium ab homine, quem dixit, ac crudeliter vexabat spiritus immunus. Interrogabat eum Iesus, quod tibi nomen est? Marc. 5. num. 9. Qua de causa nomen interrogat, cum ipse apprime nomen præcallebat, omnium enim nomina ipse tenet. Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. Psalm. 146. num. 4. Christus Dominus cum hoc demonio hominem opprimente se habebat veluti iudex, vt præclare docet D. Chrysolog. serm. 17. Interrogat, ait, non ignorat, sed implet iudicem, seruat ordinem cognitoris. Nomen interrogat, ut de conditione discisciat, iudicet de reatu, addicat de crimine. Dominus vt omnium creator, omnium nomina comprehendit, at verò vt personam Iudicis gerit, sic

Genes. 18.

Genes. 14. Bruno.

67. Philippus.

In actionibus nostris Deos spectanda.

68.

Dei quærit homines, non verò ipse Deum.

69.

Solus, qui habet meritum, dignus est sperare. Laurentius Iustinian.

Genes. 4.

Septuaginta.

August.

70.

Genes. 23. Ex mortis consideratione crescit homo in perfectione.

Chrysostr.

Homo solum in hac vita habet ius sepulchri. D. Thom.

71.

Bonus seruus viuic cum spe, & timore.

72.

Vita.

Spe, ut timore muniat homo.

Strabus.

Epiphan.

73.

Basil. Seleuc. Theodor. Luc. 23. Cyrill. hier.

74.

In hora mortis nuptia cum Christo celebrantur. August. Hieron. Origenes. Gregor. Matth. 25. Apocal. 19.

75.

Iustus pro premio habet inseruire, & ob se quia Deo dare.

Apocal. 4.

Tertull.

76.

Iustus obliuiscatur de his, quæ sollicitant affectum.

77.

Matth. 26.

Chrysostr.

Iudex in tribunali deponat amoris affectum.

78.

Marc. 5.

Psalm. 146.

Chrysolog.

se habet, tanquam si nomen non cognouisset, sed penitus ignoraret, ita sit iudex alienus ab omnibus, quae animi affectum sollicitare possunt, ut etiam rei iudicandae nomen e memoria deponat, ac obliuiscatur.

QUESTIO XII.

Quare dies mortis dicitur dies nuptialis, & festina?

79. In limine quaestiois notandum est, quod quamuis hic dedie mortis sit sermo, ut dixi superiori quaest. nulla in praesenti timoris, sed tantum spei sit mentio, non dicitur, Vos similes hominibus timentibus Dominum suum, ne quid in eis reprehendatur; sed tantum Similes hominibus expectantibus. Licet enim tota hominis vita ordinata sit ad Dei timorem in morte, tamen potius sperandus, quam timendus est Deus, multumque de eius bonitate confidendum. Ex quo monet D. Ambrosius lib. de bono mortis. cap. 8. Mortis metus non ad mortem referendus est, sed ad vitam. Sicut enim vita tempus est timoris, sic & mors spei. Vnde ait Sapiens Prouerb. 14. num. 32. In malitia sua expelletur impius: sperat autem iustus in morte sua. Quod ipso emortuo a miseria, ac vexatione liberabitur.

80. Praesens quaestio inquit, cur cum hic sit sermo de die mortis, ut dictum est, appellatur tamen dies nuptialis? Qui praesertim apud Reges, & principes, est omnium gratissimus, ad quod alludens Salomon cum dixisset. In die desponsationis eius, subdit, & in die letitiae cordis illius. Cantic. 3. num. 11. Quomodo ergo dies mortis, dies amaritudinis, dies est desponsationis?

81. Respondeo primò. Dies mortis dies festiuus, ac praecundus est iusto, in eo enim transit ab hac terrena habitatione, ut cum Christo regnet in gloria. De se ait Apostolus. Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo; Ad Philipp. 1. num. 23. Pro dissolui legit D. Hieron. lib. contra Rufin. Reuertit. Chrysostom. & Graeci. Migrari. Vnde ait Tertullian. lib. de corona militis c. 28. Quod aliud est votum nostrum, quam quod & Apostoli? Exire de seculo, & recipi apud Dominum. Nam ut ipsemet Apostolus ait ad Philipp. 3. n. 20. Nostra conuersatio est in caelis. Legit D. Athanas. serm. in illud Profecti in pagum. Nostra ciuitas in caelis est. Moritur Abrahamus, & dicitur Genes. 25. num. 8. Congregatus est ad populum suum. Interlin. habet. Congregatus est ad Angelos, quorum ciuis erat. Quod late D. August. lib. quaestiois sup. Genes. q. 268. Iustus cum morte non finitur, sed tunc incipit viuere, ac degere in noua ciuitate, nouaque conuersatione Angelorum.

82. Secundò. Dies mortis iustorum dicitur dies nuptialis, ac festiuus Christo Domino cum in eo suis electis praemia largiatur, nulla autem dies praecundior, laetior Christo Domino quam illa, in qua suis electis dona concedit, ac comminuat: vnde Theodoretus explicans illud Pauli ad Hebr. 12. num. 2. Proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Sic ait: Seruatoris nostri gaudium est salus hominum.

83. Cum vniciueque beatorum Deum conferat suam gloriam illi sub parabola talentorum ait; Euge serue bone & fidelis, mira in gaudium Domini

Matth. 25. num. 21. Non ait illi, intra in gaudium tuum, quod tibi est paratum, tibiue confertur, sed intra in gaudium Domini tui. Quamuis enim ipsa beatitudo sit electi sempiternum gaudium, tamen multo maiori laetitia, ac iucunditate in ea electis largienda ipse Dominus afficitur, indeque potiori iure non ferui, sed Domini publicanda est gloria. Reperta oue a bono Pastore, congratulationes postulat ipse ab amicis suis. Congratulamini mihi, quia inueni ouem, quae perierat. Luc. 15. num. 6. Perbelle obseruat D. Gregorius homil. 34. in Euangelia. Notandum, ait, quod non dicit, congratulamini inuenta oue, sed mihi: quia videlicet eius gaudium est vita nostra, & cum nos in caelis reducimur, solemnitatem eius letitiae implemus. Licet magnum bonum esset oue, quod fuerit inuenta, non tamen ei, sed sibi mandat Dominus facere gratulationes, nam ex eius inuentione maiori gaudio ipse Dominus, quam ouis perfunditur.

Luc. 12. n. 37. Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenit vigilantes: Amen dico vobis, quod praecinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.

VERSIONES.

Syriacus. Felices serui illi, quos cum venerit Dominus ipso- rum, inuenit vigilantes: amen dico vobis praecinctus lumbos faciet, ut discumbant.

Arabicum. Praecinget medium suum, & faciet illos discumbere, & stabit ministrare illis.

Arius. Quos veniens Dominus inuenit vigilantes; amè dico vobis, quod circumcingetur, & prodiens ministrabit illis.

EXPOSITIO III.

BEATI serui illi. Seu, ut legit Syriacus: felices. Seu irreprehensibiles, seu perfecti, ut legit ex Graeco. Theodorus in Palm. 1. Beatus vir. Dicuntur autem beati beatitudine quam vocant via, & in spe, Cui beatitudini multae virtutes sunt necessariae. Serui: quos accubantes in mensa, ut Dominus introducit, seruos vocat, ut in tanto honoris apice antiquae conditionis non obliuiscantur. Quos cum venerit Dominus, prosequitur metaphoram Domini, ac seruorum, qua vltus fuerat. Inuenit vigilantes: scilicet lumbis praecinctos tenentes lucernas, expectantes Dominum. Vigilantes. Titus Bostren. Hoc est omni virtutum generi intentos. Vnde eleganter ait Beda. Vigilat, qui seruat operando, quod credidit. Paul. 1. Corinth. 15. n. 34. Enigilate iusti, & nolite peccare. Clemens Alexandr. 2. Pedagog. cap. 9. Beati,

Matth. 25.

Plus gaudet Christus, cum praemia dat iustis, quam ipsi iusti.

Luc. 15. Gregor.

Luc. 12. n. 37.

84.

Syriac. Theodor. Antiqua con- ditionis re- cordemur.

Bostren.

Beda. 1. Corint. 15. Clem. Alex.

Hieron. Vigilare mu- nus Angelo- rum. Hugo.

85.

Assueratio in praemis di- stribuenda. Euthym.

Carthuf.

Theophyl.

Beatitudo re- quies.

86.

Hac paraboli- ce sunt di- sta.

Luc. 22.

Psal. 35.

ti, ait, qui in ipsum vigilauerunt se ipsos Angelis assimilantes. D. Hieron in cap. 4. Daniel. num. 14 ait: Angeli dicuntur vigilantes. Quia semper vigilat, & ad Dei imperium sunt parati. Hugo moralizat de praetatis, quos inuenerit vigilantes super gregem suum.

Amen dico vobis. Cum ad assignanda praemia iustis accedit hanc formam mira asseuerationis interponit, ne ex difficili praemiorum distributione, quae fit inter homines, quis inepte coniecturet de Christo, qui valde sedulus, ac verax est in suis seruis praemiandis. Praecinget se. In morem scilicet ministri, ut iam dixi ex Euthym. q. 1. qui solebant lumbos praecingere, ut expeditius ope- rentur. Faciet illos discumbere. Mensa scilicet ac- cumbere tanquam Dominos. Cum dicit discum- bere, denotat, ut ait Carthusianus, quod plenif- sime in caelesti mensa diuinae fructuionis requies- cent. Theophylactus premit verbum, quod cum dicit recumbere seruos. Totos, ait, per omnia qui- escere facit. Nam sicut, qui recumbit, toto corpore quiescit: ita in secundo aduentu omnes sancti per om- nia quiescent. Caestis quies vnique plena, & perfecta, utpote aeterna, & non vt mundana, quae est dimidiata, ac pertransiens.

Transiens; Vt solent ministri mensas obire, ac circuire, vltroque deambulantes, ac aspicientes, ne quidquam alicui desit. Ministrabit. Copiosif- sime largietur omnia fercula necessaria ad eorum refectionem, recreationem, ac aeternam felicitatem. Haec parabolice sunt accipienda, ut est eui- dens. In caelo proprie non sunt cingula, nec discubitus, nec transeuntes. Significat ergo Chri- stus Dominus se suis electis multam felicitatem, ac honorem, & dignitatem exhibiturum, ut ex seruis faciat quasi Dominos, ac veluti pares sibi edentes, & bibentes super mensam suam in reg- no suo. Luc. 22. num. 30. Idque facturum multis ferculis, & deliciis, donis scilicet animae, & cor- poris, & prouisurum ne quid necessarium iucun- dum, ac desideratum cuiuslibet desit, sed largifsi- me omnia suppeditabit. Iuxta illud: Inebriabuntur ab ubertate domus tua; & torrente voluptatis tuae potabis eos. Psalm. 35. num. 9.

QUESTIO XIII.

Quare supremus Dominus describitur mi- nistrans seruis?

87. Maldonar.

DOCTISSIMVS Maldonatus existimat, quod caetera, quae in hac parabola dicun- tur, vltata sint, quod scilicet Dominus intem- pesta nocte redeat, fores pulset, & serui sint accincti, cum lucernis expectantes; at verò id, quod in praesenti dicit, vt Dominus transiens seruis mi- nistret, vltatum non est; voluit tamen Domi- nus significare, se tantam diligentibus, vigilan- tibus, atque paratis seruis gratiam daturum, vt faciat illis, quod nemo Dominorum seruis suis solet facere, vt illis discumbentibus ipse seruiat.

88.

Athenus.

Probabilius mihi est, quod Christus Dominus hic allusionem faciat ad rem communem, ac vltatam apud aliquas gentes, vt frequenter in hu- iusmodi comparationibus fit; Mos erat apud ali- quas nationes, vt honoris, ac familiaritatis gra- tia Domini aliquando seruis, ac amicis discum- bentibus in mensa inseruirent, vt testatur Athe-

næus lib. 14. Dipnosophist. cap. 17. At non ait, sa- turnaliorum quidem solum diebus, in quibus mos est apud Romanos, vt familiaribus conuiuium exhibeant, ipsiq; seruorum officio fungantur: Est autem Graeca hac consuetudo, nam per Mercurialia festa hoc ipsum fit in Creta, velut testatus est Caristus in historicis commentariis; nam conuiuantiis seruis Domini illis seruiunt, atque ministrant. Ex Beroso eundem esse morem Babyloniorum refert Macro- bius lib. 1. Saturnalium cap. 12. de Mense Martio agens. Hoc mense, ait, seruis cenae apponebant Ma- trona, vt Domini saturnalibus: illa vt principio an- ni ad promptum obsequium honore seruis inuitarent; hi, quia gratiam perfecti operis excoluerunt. Ad quod etiam tendit sententia Senecæ Philosophi Epi- stol. 47. Maiores nostri, ait, instituerunt diem festum, quo non solum cum seruis Domini vescerentur, sed etiam vniq; honores illis in domo decernerent, ius dicere permisissent. Hoc posito, ad quaestioem

Primò. Ad hanc communem consuetudinem videtur Christum alluisse; ipse enim, qui est Rex regum, ac Dominus seruorum dicitur in pa- rabola, quos cum venerit Dominus; tamen vult se submittere, vt seruis suis seruiat, & qui in eius obsequio praecincti laborauerunt, ipse praecinctus dicitur eis ministrare, vt eos discumbere, ac cenare faciat; ipse se demittit, vt nos efferat, ac mul- to honore afficiat, o mira hominis dignatio. Di- uus Thomas apud Aloysium Nouari. Vt sicut, ait, ipsi ministrarunt ei, ita & ipse eis ministrat; & mi- nistrabit, quasi esset seruis eorum emptitius, & qui- libet eorum esset Dei Deus. Nil maius de homine ici potest.

Secundò. D. Chrysolog. serm. 24 Praecinget se, & faciet illos discumbere: quia, ait, parumper ser- uus assistit in Domini sui expectatione succinctus: & sustinendi fidem breui fatigatione portauit; cui vt ra- tionem redderet, dissimulat se in ipsa diuinitate di- uinitas. Pende verba multo acumine plena; in- troduxerat Dominus seruos ipsum expectantes. Et Vos similes hominibus expectantibus Dominum suum; vt seruis expectantibus, seu meritis expectatio- nis eorum aequalem retributionem, ac praemium rependat. Cui cum rationem redderet. Cum aeter- nam beatitudinem sub nomine coniuuij confert, Christus filius Dei, cui omnium obsequia debentur, ad humile ministrandi seruitium se se sub- mittit. Quia seruus sustinendi filium breui fatiga- tione portauit. Alia merita per beatitudinis colla- tionem remunerantur. Sic fidei seruo dicitur. Euge serue bone, & fidelis intra in gaudium Domini tui. Matth. 25. num. 23. Vitis misericordia pracla- ris dicitur. Venite benedicti Patris mei possidete reg- num: esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere, &c. Matth. 25. n. 34. At viris expectantibus ad ministerium ipse se de- mittit. Quia seruus sustinendi fidem breui fatigatio- ne portauit. Tam ardua, ac molesta res est spes, tantoque illius cruciatu animi anguntur, quod ad eam remunerandam, non solum totam beatitu- dinis gloriam largietur Christus, sed etiam insu- per ipse celsitudinem suae maiestatis ad vile ser- uorum obsequium demittat, vt viros spe plenos multo honore condecoret. Vt rationem redderet, dissimulat se in ipsa diuinitate diuinitas.

Tertid. Pergit citatus Chrysolog. Discumben- ti homini, ait, Deus adstat, & adstat in caelestib. epula- ti seruo seruit Dominus, & seruit accinctus; pueris suis, & ministris suis ministerium facit Christus, & facit in Patris gloria constitutus. Ecce supremi regis celsitudo.

Macrobius.

Seneca.

89.

Iustus mul- tum extolli- tur à Deo.

D. Thom.

90. Chrysolog.

Expectatio- nis grauis cru- ciatus, inde magnum pra- mium habet.

Matth. 25.

Matth. 25.

91.

Chrysolog. Bonus prin- cept in sui ostentatione seruilia non respuit.